



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ioannis Tollenarii Brvgensis e Soc. Iesv Specvlvm  
Vanitatis Sive Ecclesiastes Solvta Ligataq. Oratione  
Dilvcidatvs**

**Tollenaer, Jean de**

**Antverpiæ, 1635**

Sectio Prima.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68633)

S P E C V L I  
 V A N I T A T I S  
 E C C L E S I A S T A E  
 C A P V T S E X T V M.

S E C T I O P R I M A.

E C C L E S I A S T E S.

- VERS. I. Est & aliud malum, quod vidi sub Sole,  
 & quidem frequens apud homines:
2. Vir, cui dedit Deus diuitias, & substantiam, & honorem, & nihil deest animæ suæ ex omnibus, quæ desiderat: nec tribuit ei potestatem Deus vt comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud. hoc vanitas, & miseria magna est.
  3. Si genuerit quispiam centum liberos, & vixerit multos annos, & plures dies ætatis habuerit, & anima illius non vtatur bonis substantiæ suæ, sepulturaque careat: de hoc ego pronuntio quòd melior illo sit abortiuus.
  4. Frustrà enim venit, & pergit ad tenebras, & obliuione delebitur nomen eius.
  5. Non vidit Solem, neque cognouit distantiam boni & mali:

Sf

6.et-

6. etiam si duobus millibus annis vixerit, & non fuerit perfruitus bonis: nonne ad vnum locum properant omnia?

## METRICA PARAPHRASIS.



NON possidentem Regificas opes  
Evisceratis aut Arabum iugis,  
Aut emedullatis Iberi

Montibus, indigetes beatum.

Nomen beati rectius obtinet,  
Qui maior auri blanditiis, iubet  
Servire virtutum lupatis  
Divitias operosiores.

Non si refusus divitis alvei  
Gazis Hydaspes faucibus influat,  
Cupidinem siticulosam  
Exsatiet sibi blandus hydrops.

Crescente crescit cura pecunia  
Mentisque tabes, fœdæque servitus.  
Et credimus beatitatis

Fructibus indecores potiri?

Hæc pœna avaros discruciat frequens:  
Hæc orbe toto se Nemesis probat,

Quæ Phœbus è cunis renascens  
Tendit ad Hesperium cubile.

Vtrumque mundum, quæ patet, adspice,

Heu quanta egestas divitiis subest!

Quot sortis, heu! nimis benigne  
Esse fauor prohibet beatos!

Est qui flagellat Mygdonias opes,  
Midaque votis vota supervolat,

Curruque subuectus superbo  
 Fræna regit, populique fascis.  
 Fortuna tendens huic famulas manus,  
 Exuberantis munera copie  
 Profundit, indulgensque donis  
 Immodicum superare voti  
 Contendit. O fucata beatitas!  
 Heu! ludit amni Tantaleo sitim:  
 Nec tabido latrantem orexim  
 Ventre opibus recreat paratis.  
 Feralis ut cum cœna superfluis  
 Instructa ferclis, Tenarei specus  
 Inuitat umbras, aut opima  
 Mensa Ioui struitur Dapali,  
 Nil ille quidquam percipit: aut velut  
 Spado impudicus virginis irrita  
 Suspirat amplexu; prehensis  
 Sic opibus miser ingemiscit.  
 Sed sortis heres quilibet aureæ  
 Lumbricus, imâ e face leuans caput,  
 Aut stemmatis mendax repertor,  
 Aut viduis thalamis potitus  
 Dudum repostam deliciis struem  
 Impendet auri, & compede ferreâ  
 Nummos reclusos destinabit  
 Pinguis aqualiculi saginæ.  
 O vanitatum summa! Quis, ô! precor,  
 Quis hocce tantum dissimulet mali?  
 Si quispiam satur dierum  
 Nestoream superet senectam,  
 Natisque centum diuidat oscula:  
 Nec ille partis exsatiat famem,

Eccli. 30.  
18.

Verf. 19.

Verf. 21.

Vitæque solamen reuulsos  
 E loculis neget esse nummos:  
 Sed inuidendas inter opes inops,  
 Probrosa tandem victima Tartari  
 Procumbat, & sœdum cruentis  
 Vulturibus iaceat cadauer  
 Exfors sepulchri, & funerea facis,  
 Fractæque mœsto pectine nania;  
 Hunc esse vuluæ abortientis  
 Consimilem reor embryoni.  
 Quin maior hic est, cui geminum parens  
 Gemella mortis sarcophagum dedit,  
 Dum terra abortiuum recepat,  
 Bisque vteri sepelit latebris.  
 At ille frustra matre puerperâ  
 Cadens, salutat fletibus alteram:  
 Pergitque ad æternas tenebras,  
 Nec memori reuirescet auo.  
 Non Solis vniquam flauicomum iubar  
 Lucisque gustum percipit aurea:  
 Non pulchra secernit pudendis,  
 Vtilibus dirimit nociua.  
 Bis dena quamuis secula traxerit  
 Viuendo, fortis mancipium suæ,  
 Quo tandem abortiuum antecellet  
 Stamina dum Lacheſis secabit?  
 Omnes eodem tendimus: vltima  
 Momenta lapsi temporis orbitam  
 Cunctis adequant: parque longo est  
 Vna dies fugitiua sæclo.

## PROSA EXEGESIS.

CUM multoties iam auaritiã perstrinxerit Ecclesiastes, eademque in speciem, quæ nunc adfert, accusauerit, magnopere laborant Interpretes, vt hîc *aliud malum* à præcedentibus diuersum inueniant. Ego, vt aliorum sententias præteream, quas recenset eruditissimus noster Pineda, illud hîc nouum auaritiæ malum animaduerto, quòd sola sufficiens sit ad euertendam rebus omnibus cumulatiſſimam felicitatem. Quin amplius etiam insinuat Ecclesiastes, dum ait: *Non vidit Solem, neque cognouit distantiam boni & mali.* tantam scilicet vult esse pestem auaritiæ, vt nullo rerum habito discrimine, etiam quæ bona sunt, vertat in perniciem, lucem in tenebras, diuitias in egestatem, honorem in ignominiam, filios in hostes, vitam in ærumnam, denique desideriorum omnium votorumque compendium in tormentum.

Vide Pinedam hîc. Summum auaritiæ malum.

Itaque finge animo (quod facit Ecclesiastes) *virum cui dedit Deus diuitias, & substantiam, & honorem, & nihil deest animæ suæ ex omnibus quæ desiderat. Fac denique genuerit centum liberos, & vixerit multos annos, & plures dies ætatis habuerit hæc ad præsentis vitæ felicitatem pertinere nemo sapiens infitiabitur.*

Opes in primis, teste Aristotele, multiplex instrumentum sunt, non tantum rei familiaris, sed etiam Reipublicæ: vnde non immeritò nerui rerum gerendarum vocari solent, habentque plurimas in omnem vitam opportunitates. Nam & egestati subueniunt, vitamque fouent & ornant: & liberalitati campum aperiunt: & in acquirendo conseruandoque humanam acunt industriam.

Opes suo modo ad felicitatem pertinent. Arist. lib. 1. Polit. c. 10.

Sf 3.

Nec

Honor ali-  
quid con-  
ere ad fe-  
licitatem.

Pindarus  
apud Plu-  
tarchum  
de Serâ  
vindictâ.

Cicero pro  
Milonê.

Posterâ ad  
felicitatem  
pertinent.

PL 127, 3.

Vita diu-  
turna pars  
est felici-  
tatis.

Trigault.  
in Sinen-  
sibus.

Desiderio-  
rum imple-  
tio multum  
facit ad  
beatita-  
tem.  
Boët. lib. 3.  
de Consol.  
Prof. 2.

Nec minus momenti habet honor ac dignitas ad præsentem felicitatem, præsertim cum virtutis & comes & condimentum sit, & præmium. Quis enim non summopere delectatur præclarâ de se existimatione, sensuque civium suorum, nisi fortè cuius atrum cor (verba sunt Pindari) frigidâ flammâ sit fabricatum? Sanè M. Tullius ex omnibus præmiis virtutis amplif-  
simum præmium ait esse gloriam: hanc esse, quæ vitæ brevitatem posteritatis memoriâ consoletur; quæ efficiat, ut absentes adsumus, mortui viuamus, cuius gradibus etiam homines in cælum videantur ascendere.

Porro fecunditatem etiam vxoris ac stemmatis propagationem, ad felicitatem quamdam pertinere, discretè testatur Propheta Regius, dum ait: *Vxor tua sicut vitis abundans* (quales alibi biferas, alibi triferas inueniri accepimus) *in lateribus domus tuæ. Filij tui sicut nouella oliuarum in circuitu mensæ tuæ. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.*

Neque vitæ diuturnitas minus habet ad felicitatem momenti, quod vel ex eo manifestum efficitur, quod in solo Deuteronomio plus quàm duodecies religionis erga Deum, pietatis in parentes, iustitiæ erga proximos, velut præmium à legislatore promittitur. Et verò tantus amor vitæ mortalibus à naturâ insitus est, ut inter ceteros Chinenses magnam sæpè auri vim in Chemicos impostores effundant, qui vanâ longioris vitæ spe nimis cupidos ludificantur.

Denique ad beatitatem vel maximè facit desideriorum omnium (quantum mortali fas est) votorumque consecutio; cum huius vitæ felicitas aternam postumamque beatitatem conetur imitari, quàm Boëtius definit esse statum omnium bonorû aggregatione perfectû.

Sed

Sed fac, vt dixi, hæc omnia summa in vno aliquo reperiri: adde, si placet, Deum eius vota pronâ facilitate præuenire, & munificentiam superare; si vnica adfuerit auaritia, non tantum hunc esse felicem negabo, sed etiam miserum & immiserabilem demonstrabo: non ea tantum de causâ, quod vbi solidum aliquod bonum deficit, nulla potest esse vera beatitas; sed etiam, quia tanta est auaritiæ pestis, vt ea, quæ videntur bona, in miseriam ac perniciem conuertat.

*Auaritia omnia fundamenta beatitatis evertit.*

Dic enim, obsecro, quid auaro conferunt diuitiæ: nonne totidem vepres ac spinæ sunt, aut carnificum vngulæ, quibus eius animus excrucietur, & in mille curas discerpitur? Sed nec id agunt apud auarum diuitiæ, quod promittunt, vt paupertatem eliminent. Quantumlibet enim magnas opes habere possunt, ait Augustinus, sed in earum quantacumque abundantiam non egere non possunt. Egestatem enim non absentia pecuniæ, inquit Apuleius, sed immoderatarum præsentia cupiditatum gignit. Igitur non beatum faciunt opes, sed miserum.

*Opes auaro nihil conferunt ad beatitatem.*

*August. l. 7. de Ciuit. c. 12.*

*Apuleius de Philo- sophia.*

De honore quid dicam? An non ille saltem splendorem vitæ atque ornamentum adfert? Certè vbi auaritia dominatur, perit omnis vitæ dignitas. Quid enim magis indignum est homine, quàm vilissimum esse luti mancipium? Quid dicam, Vespasianum Imperatoriæ dignitatis immemorem, è facibus humanis atque vrinâ infame vectigal collegisse, addito impudenti ioco cum diceret, Lucri bonum esse odorem ex re qualibet? Quid Caligulam commemorem, qui compendij causâ lupanar in palatio constituit? filia verò nata, paupertatem & familiæ onera prætexens, collationes in alimoniam dotemque puellæ corrogauit. Quin etiam

*Auaritia honorem pessumdat.*

*Sueton. in Vesp. c. 23.*

*Sueton. in Caligulâ, c. 41, 42.*

strenas

strenas edixit ineunte anno se recepturum; stetitque splendidus mendicus in vestibulo ædium kalend. Ianuariis ad captandas stipes, quas plenis ante ipsum manibus ac sinu omnis generis turba fundebat. Quid hac mendicitate indignius?

*Avarus ex  
liberis non  
percipit fe-  
licitatem.*

Sed ad reliqua felicitatis argumenta, quæ penitus eneruat avaritia, festinat oratio. Quid esse potest in vitâ dulcius, quàm numerosam prolem velut novellas oliuarum in circuitu mensæ suæ dispositas intueri? Sed tam immanis bellua est avaritia, vt proscripto natura adfectu, hominem ex homine tollat, & solius thesauri custodia intenta, quot filios, tot proditores atque hostes numeret thesauris insidiantes, tot harpyias ac vultures paterno cadaveri imminentes. Plus etiam dico, vitam scilicet filiorum, præsentis lucro frequenter parentibus esse viliores. Detestentur antiquorum theatra Medæ crudelitatem: mihi certè pretio viliores venalem habuisse naturam videtur mulier illa Milesia, quæ acceptâ ab heredibus secundis pecuniâ, partum sibi abegit, cui debebatur hereditas.

*Nec longa  
vita prodest  
avaris ad  
beatitudinem.*

Igitur nec affectus filiorum suavis est, vbi dominatur avaritia; nec vita ipsa vitalis, etiam si ad annos Mathusalæ producat. Quæ est enim avari vita, si semper sibi superstes est ad tormentum? Certè cum de vitâ loquimur, non illam nudam intelligimus, quæ muscarum est & vermium bonum, multoque minus illam, quam perpetua acerbitas vitam vocari non patitur; sed Poëtæ vivere sumunt pro securâ voluptate; Philosophi verò pro animi tranquillitate, & cum rectâ ratione congruentiâ. Hanc omnes, qui sapiunt, inquirunt, quamvis non procul absit ab animo benè instituto, vt notat Horatius, ——— *Nanibus atque*

*Horat. li. i.  
Epist. ad  
Bubular.*

*Qua-*

*Quadrages petimus bene vivere: quod petis, hic est.  
Est colubris animus si te non deficit equus.*

Avaro autem nec hinc nec usquam est beata vita, quia nusquam animi tranquillitate fruitur, ubique fluctus curarum, ubique procellas cupiditatum circumfert. Itaque licet multos in capite canos, & annos ætatis multos numeret, non rectè tamen eum diu vixisse dixeris, sed diu fuisse: quemadmodum eum, cuius naudem tempestatibus in gyrum actam diu ventus è portu exclusit, non rectè diu nauigasse, sed diu multumque iactatum fuisse dixeris.

Quòd si nihil horum conducere quidquam potest ad bene beateque viuendum, quamdiu in corde regnat avaritia; an illud tandem erit instar omnium, quòd nihil deest animæ eius ex omnibus quæ desiderat? certè nemini dubium videtur, quin hæc dicenda sit omnibus numeris absoluta beatitas, votorum omnium compotem fieri. Sed quid si nulla nisi stulta vota concipiat? nulla nisi perniciofa? etiãne sic beatus existimabitur? Quenam autem vota concipit auarus?

*Illæ sibi introrsum, & sub linguâ immurmurat: O si  
Ebullet patrum præclarum funus! & ô si  
Sub raastro crepet argenti mibi seria dextro  
Hercule! Papillionve vtinam, quem proximus heres  
Impello, expungam!*

*Perfius Satyrâ 2.*

Adde vota Midæ, & si quæ sunt alia, non à ratione, sed à cupiditate profecta: tantum abest, vt illa ad beatitatem pertinere iudicem, vt hoc potius votis omnibus paciscar, ne tam iratum sit mihi Numen, vt tam improbis postulatis annuat. Illud enim verissimè dixit Plato,

*Plato Alcibiad. 2.*

Multorum vota reipsâ diræ sunt.

Satisne igitur malorum infelix illa pestis continet

T t

auari-

auaritia, quæ ipsam quodammodò beatitatem vertit in miseriam? certè tantum in hanc vitam ærumnarum inuehit, vt nulla fieri posse videatur accessio; & tamen, quod adiiceret, noster inuenit Ecclesiastes. Si, inquit, auaro ad cumulum miseriarum illud accedat, vt sepultura careat, de hoc ego pronuntio, quòd melior illo sit abortiuus. Quid ita verò? tantùmne pondus ac momentum ad felicitatem habet sepultura, vt si quis illa careat, extremum miseriarum omnium incurrisse videatur? Magno mihi clamore hîc obstrepentes audire videor Philosophos, inter quos Romanus Sapiens, Nemo, inquit, liber est, qui corpori seruit; cuius reliquiis quis futurus sit exitus, non quærit. Sed vt ex barbâ capillos detonsos negligimus, ita ille diuinus animus egressurus hominem, quò receptaculum suum conferatur, ignis illud exurat, an feræ distrahant, an terra contegat, non magis ad se pertinere iudicat, quàm secundas ad editum infantem. Neminem, inquit, de supremo officio rogo: nulli reliquias meas commendo. Ne quis insepultus esset, rerum natura prospexit. Quem sæuitia proiecerit, dies condet. Disertè Mecænas ait:

*Nec tumulum curo; sepelit natura relictos.*

Nec minus animi fuit Cyrenæo Theodoro, cui cum Lyfimachus Rex crucem minaretur, Istis, quæso, inquit, ista horribilia minitare purpuratis tuis. Theodori quidem nihil interest, humine an sublimè putrescat.

Sed tamen si à naturâ ingenitam erga proprium corpus pietatem & cadaueris curam intueri velimus, nullam inueniemus gentem tam barbaram, quæ non aliquam sepulchri rationem habendam duxerit. Quis non hodie memoriæ post mortem propagandæ ita

stu-

An honor  
sepultura  
ad felicitatem  
perueniat.

Seneca E-  
pist. 92.

Cicer. Tu-  
sculanâ 1.

Sepultura  
curam ali-  
quam gere-  
re rationi  
consentaneum.

studet, ait Tertullianus, vt vel litteraturæ operibus, vel  
 ipforum sepulchrorum ambitione nomen suum seruet? Tertull. de  
 Testam. et.  
 animæ, c. 4.  
 Nihilominus quoniam non omnibus, qui cælo desti-  
 nati sunt, honor sepulturæ contigit, manifestum est,  
 non in eo summam verti postumæ felicitatis. Quid igi-  
 tur sibi vult Ecclesiastes, cum hoc velut extremum mi-  
 seriarum recenset, sepulturâ carere? D. Hieronymus Hierony-  
 mus hic.  
 duplicem potissimum huius loci sensum commendat;  
 siue, quod diues etiam in curâ sepulcri & exequiarum  
 sordes auaritiæ non deserat; siue, quod figuratâ locu-  
 tione monumento careat, id est nihil homine dignum  
 gerat, quo se posteritati vixisse testetur.

Et quidem tantas esse sordes auaritiæ, vt ne sarco- Auarus  
 propter a-  
 uaritiâ  
 sepulturam  
 negligit.  
 phagi quidem impensam ferre possit, non ita pridem  
 docui exemplo Dinarchi Phidonis, qui moriturus la-  
 crymatus est, quod minis quinque sarcophagus emen-  
 dus esset. Et hunc sensum fuisse Vespasiani, publico te-  
 stimonio proditum est in eius funere. Nam Fauo ar- Sueton. in  
 Vespasian.  
 c. 19.  
 chimimus, personam eius sustinens, imitansque, vt mos  
 est, facta ac dicta viui, interrogatis palàm procuratori-  
 bus, quanti funus & pompa constaret, vt audiit HS. cen-  
 ties, exclamauit, centum sibi sestertia darent, ac se vel in  
 Tiberim proiicerent.

Deinde quod nihil homine dignum gerat auarus, Auarus  
 nullum sui  
 monimen-  
 tum poste-  
 ris relin-  
 quit.  
 quo æternum sui monumentum posteritati transmittat,  
 adeoque simillimus sit abortiuo, sequentibus verbis  
 confirmat Ecclesiastes: *Frustrâ enim venit, & pergit ad  
 tenebras, & obliuione delebitur nomen eius. Frustrâ venit in*  
 hoc vitæ theatrum, qui naturam suo fine frustratur: &  
 cum natus sit ad intelligendum & agendum, intelle-  
 ctum terrenis & caducis rebus immersum obbrutesce-  
 re permittit. Itaque nullâ re præclarè gestâ instar em-  
 bryo-

bryonis, Sole vix in ipso vitæ limine salutato, *pergit ad tenebras, & obliuione delebitur nomen eius.* Deinde frustra venit, qui inter tot opes & naturæ commoda hominibus à Deo comparata (quid enim non hominis causâ creatum est?) nullâ re fruitur, sed miseriis atque egestate contabescit. Itaque instar abortiui *non cognouit*, id est, non est expertus, *distantiam boni & mali.* Hoc enim abortiuo deterior, quòd huic nullam adfert molestiam hæc rerum ignoratio; at avarus peruerso de rebus iudicio tormentum sibi accersit, cum præsidia salutis sibi vertat in ruinam. Vnum est in quo potior eius conditio quàm abortiui videtur, quia diuturnior illi vita contingit. Sed occurrit iterum Ecclesiastes: *Etiã si duobus millibus annis vixerit, nõne ad unum locum properant omnia? Nõne omnibus eadem sepulchri fors est, & vitæ finis? Quænam igitur ætas ista longa est, aut quid omnino hoc ipsum diu, in quo est aliquid extremum? quod cum venerit, pro nihilo habendum est quod præterit.* O miserum igitur, qui naturæ communis exul, frustra in hanc vitam ingressus ostenditur! Sed nondum finis malorum: neque enim avarus naturam tantum suo fine frustratur, sed etiam, vt mox innuit Ecclesiastes, grauissimè peccat contra finem politicum, & instituta Rerumpublicarum.

## SECTIO SECVNDA.

### ECCLESIASTES.

VERS. 7. Omnis labor hominis in ore eius: sed anima eius non implebitur.

METRI-